

dispendium fratrem proprium prefatum, videlicet Olavum, captivavit et socero suo comiti Rodberto de Flandria reservandum transmittit. Ipsi^{us} enim filiam carissimam rex duxit in uxorem, de qua eciam sobolem nobilissimam, scilicet comitem Karolum, suscepit. Unde illi pre ceteris de custodiendo fratre melius credidit. Rex autem divina imbutus sapiencia, que animo suo de exercitus sui reditu displicebant¹ dissimulans, tempus redimebat, quoniam dies *f. 10^r. mali erant². Sed³ veluti actenus — * — publice adiudicabat. Advenas et undecumque advenientes sub regni sui imperio degentes incolarum pares⁴ iure et equitate decernebat. Pupillos⁵, orphanos, viduas ac pauperes sibi non sufficientes clipeo tuicionis auctoritate regali defendebat. Rebellium⁶ sive divinatorum — — adarmabat. Unde⁷ omnis pene terre vulgus — — — irretitus in mortem regis et martiris conspirabat. Verumtamen⁸ regis exactores pariter et omnes regalium negociorum executores, regnum in manu regis iam corroboratum⁹ conspicientes, plus iusto in causis aggravandis insistebant ac res fisco asscriptas vilipendentes nimie aviditatis infecti veneno diripuerunt. Agnum pro denario, ovem pro solido, vaccam pro tribus denariorum solidis in regio censu reddi disponebant. Iudicia eciam *f. 9^r. pervertentes tam nobiles quam ignobiles *vi et potencia [pauperes¹⁰] opprimere contendebant. Quorum¹¹ enormitatis insolencia plurimi exacerbat — — — perturbent, regis et martiris sanguine sitibundi cupientes saturari.

4. Rege¹² vero in Iucia manente, que maior pars est Danie, ac in australibus Iucie partibus regalibus negociis ex more peractis ultra fluvium, qui Limefiorth¹³ dicitur, ad insulam Wendelam transfretabat. Erat enim tunc temporis insula, duas continens provincias, Thiutha¹⁴ videlicet et Wendela, que hodie promontorium magis quam insula dicenda sunt. Veniens¹⁵ ergo rex ad civitatem Burglanensem¹⁶

1) 'displacebat' Hs. 2) Eph. 5, 16. 3) 'Sed — adiudicabat' aus Ailn. cap. 14, S. 101, l. 6—13. 4) 'partes' Hs. 5) 'Pupillos — defendebat' nicht bei Ailn. 6) 'Rebellium — adarmabat' mit Veränderungen und Auslassungen aus Ailn. cap. 14, 15, S. 101 f. 7) 'Unde — irretitus' aus Ailn. cap. 15, S. 102. 8) Vgl. Ailn. cap. 16, S. 102. 9) 'Regnum — conspicientes' nicht aus Ailnoth. Vgl. 2. Par. 12, l. 25, 3. 26, 16, wo stets 'roborare'; oben Kap. 1: 'Sveno in patrum suorum sede corroboratus'. 10) 'pauperes' steht nicht bei Ailn., es dürfte zu streichen sein. 11) 'Quorum — perturbent' aus Ailn. cap. 16, S. 102 f. 12) Vgl. Ailn. cap. 17, S. 104. 13) 'Lunefiorth' die Hs. stets. 14) Thyland und Vendsysse. 15) 'Veniens — formidant' mit Veränderungen aus Ailn. cap. 17, 18, S. 104 f. (bis 'exterminet' l. 5). 16) Börglum auf Vendsysse.